

## REGULA PRIMA.

*Effectuum naturalium cause non plures sunt admittenda quam quae verae sunt, & effectibus explicandis sufficiunt.*

**H**ÆC regula multas complectitur partes. theoriam declarandas; & 1. quidem oportet causam esse veram, ideoque excludi debent non solum causæ commentitiæ, quas existere repugnat, sed etiam causæ vere possibiles; itaque satis non est ut causa aliqua possit existere, sed etiam oportet ut revera existat. Licet igitur philosophicarum hypotheson absurditatem & repugnantiam demonstrare non possimus, si tamen nulla ratiocinatione, nullis experimentis aut observationibus probari possint, eas e physicæ finibus longe exulare jubemus. Ceterum hanc primam regulæ partem ex aliis sequentibus regulis clarius licebit intelligere. 2. Oportet ut causa sufficiat, hoc est singulis effectus explicandi partibus & circumstantiis debet satisfacere; alioquin tota non haberetur effectus causa. 3. Tandem non plures admittendæ sunt causæ quam quæ satis sunt: etenim receptum est in omnibus disciplinis principium: *Entia non sine necessitate esse multiplicanda, nec fieri debere per plura quod potest fieri per pauciora.* Ceterum evidens est huic regulæ præmittendam esse certissimam effectus cognitionem, nec aggrediendam esse, quod tamen per sepe fit, effectus alicujus explicationem, nisi effectum ipsum existere certo constiterit.